



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 12. Caput piscis in caput Symmachi mutatum in terrorem Theodorici
regis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

co orta reiectus est in Maioricam. Ibi, dum sibi maximè vult cauere, vitata omnium familiaritate, exscendit ad emendum ibidem in proximo loco caput vitulinum; quo itidem in cruentum humanum caput conuerso proditus, illico & vocis, & vindictæ diuinæ memor pœnas dedit. Est hæc historia præcedenti similis. Sed nihil est incredibile, idem sæpius accidisse. Cur non iterentur supplicia, si scelera toties repetuntur?

§. XII.

Caput piscis in caput Symmachi mutatum, in terrorem Theodorici regis.

Hac de causa etiam in vetustioribus consimilia leguntur. Tale enim etiam monstrum fuit, quod Platina testatur, Romæ contigisse. Summa Romæ duorum insignium virorum Symmachi & Boëtij (qui gener Symmachi fuit) erat ac præcipua auctoritas. Quamobrem euocavit eos Theodoricus rex Gothorum, iussitque Ticinum venire. Ibi eos diu captiuos tenuit, quod impijs eius decretis aduersarentur. Neque contentus fuit vinculis eos stringi, verum bona quoque illorum publicauit, tandemque etiam iniquissimè ambos iussit interfici.

§

fici.

fici. Habent viri probi supra se tyrannos; sed & supra tyrannos alius est, qui in eos animaduertat. Itaque, paulo post iniuriosissimam hanc cædem secuta est talis pœna barbaram crudelitatem. Symmacho & Boëtio sepultis, epulæ de more parabantur, vt Theodoricus cœnam pariter & scenam feralem adiret. Inter cetera enim regia fercula, grande piscis caput mensæ imponebatur, quod cùm ceteris ob magnitudinem suam admirationi esset, regi fuit formidini. Non enim ille piscis cocti, sed Symmachi visus est cernere resectum, cruentumq; caput, horribili rictu & flammis oculis ipsi minitantis. Obstupuit eo conspecto, & subito metu confternatus, totoque corpore contremiscens iussit se in lectum deportari; ibi accersito medico Elpidio & familiarissimis quibusque amicorum, terribilem illam Symmachi speciem à se conspectam lamentabiliter denarrauit, atque ita in scelere & sceleris pœna deplorata extinctus est. Hanc formidabilem, in ipsa mensa, metamorphosin quis non iudicet esse monstruosam? Quis autem eius monstri causa fuit, nisi ipse, quem petiuit.

petiuit, Theodoricus? Sed diuinitus eo in-
scio atque inuito hæc accidit mutatio.

§. XIII.

*Caput S. Ioannis Baptista in ferale conuiuium
illatum, capite saltatricis vindicatur.*

Longè ego propemodum dixissem con-
uiuium illud monstrosius extitisse, in quod
allatum est caput Ioannis Baptista in disco, Matth.
& datum est puella, & attulit matri suæ, sal- 14. 11.
taticula adulteræ. Non voco caput inno-
centissimi martyris monstrum, sed conui-
uium tamen fuit monstrosissimum. Quis
inter fercula cædes, inter pocula vulnera,
funera inter conuiuia tractauit? *pugnare*
scyphis Thracum est; & occidere in mensis
Lapitharum. Herodes illo die, quo uiue-
re & solem videre cœpit, fert sententiam
mortis. Salax puella saltat, & pro mer-
cede exigit Prophetæ caput. Mulier adul-
tera sitit, & vult bibere humanum sangui-
nem. Quis hoc vnquam audiuit? quis le-
git? in regiam mensam, inter natalicias
dapes, ferale apportatur ferculum, & in
disco apponitur conuiuis caput Ioannis
Baptista? Nonne hæc monstrosa sunt? &
omnibus monstris detestabiliora? Ita ca-
pitibus ludunt & illudunt homines, &